



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Commemoratio S. Flamidiani Martyris, Cusani In Hispania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX S. GREGORIO.

Ejus pietas. Apparet Æmilianæ.

Moritur Æmilianæ.

subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas cunctis ostenderet, illuc auctorem suavitatis venisse. Cumque corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum esset nudatum, longo orationis usu in cubitis ejus et genibus, camelorum more, inventa est obdurata cutis excrevisse, et quid vivens ejus spiritus semper egerit, caro mortua testabatur.

§ Hæc autem gesta sunt ante Dominici natalis diem. Quo transacto, mox Æmilianæ sorori suæ per visionem nocturnæ visionis apparuit, dicens: Veni, ut quia natalem Dominicum sine te feci, sanctam Theophaniam jam tecum faciam. Cui illa protinus, de sororis suæ Gordianæ salute sollicita, respondit: Et si sola venio, sororem nostram Gordianam cui dimitto? Cui, sicut asserebat, tristis vultu iterum dixit: Veni, Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis secuta est: atque ita, ut dictum fuerat, ante Dominicæ apparitionis diem, eadem molestia ingravescente, defuncta est.

6 Gordiana autem mox ut solam remansisse se reperit, ejus pravitas excrevit, et quod prius latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectum prævæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris et reverentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore conversæ sunt, sed non in uno eodemque studio permanserunt: quia juxta Dominicam vocem: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Hæc ergo dixi, ne quis in bono jam opere positus, sibi vires boni operis tribuat, ne quis de propria actione confidat: quia etsi jam novit hodie qualis sit, adhuc eras quid futurus sit, nescit. Nemo ergo de suis jam operibus securus gaudeat, quando adhuc in hujus vitæ incertitudine qui finis sequatur ignorat.

7 Hæc S. Gregorius; qui S. Tharsillæ rursum meminuit lib. 4. Dial. cap. 16. S. Felicem S. Gregorii avum ostendit Baronius Tertium fuisse ejus nominis, qui xxv Februarii colitur; non Quartum, qui xxx Januarii.

Gordiana nubit.

DE SS. EPISCOPIS SENONENSIBUS

HONOBERTO ET HONULPHO.

SECVLO VIII.

V JANUARI.

NOT. 104.

S. Honobertus filius S. Honulphi.

Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum, sanctos hos Antistites hoc die referunt his verbis: Senonis Honoberti et Honulphi Episcoporum et Confessorum. Claudius Robertus in catalogo Archiepiscoporum Senonensium testatur, eorum festivitatem agi v Januarii. ms. Florarium XIX Decemb. S. Honulphi natalem refert; at xxxi Augusti translationem his verbis: In territorio Adartensi translatio S. Honulphi Senonensis Episcopi. Honobertum vero xxviii Septembr. celebrat. Fuit Honobertus (ut idem Robertus, Demochares, ac Joannes Chenu tradunt) Honulphi filius; nam pater filio in Episcopatum successit. Obiisse autem

filium volunt anno dclxv. patrem sexennio post, nimirum dclxvi. Utriusque brevitè meminit monachus Altissiodorensis in Chron. sic scribens: Senonensi Ecclesiæ post S. Ebbonem (de quo xxvii Augusti agemus.) S. Honobertus præfuit, vir omni honestate præcipuus: cui successit Honulphus, et Honulpho Othbertus. Hic Othbertus idem est, qui alibi Artbertus sive Hartbertus dicitur, ut ipse scribit Claudius Robertus. Sed cum Zacharias Pontifex in epistola ad S. Bonifacium anno Christi dcccxliv data meminere Artberti, necesse est fateri ante annum dcccxlvi obiisse S. Honulphum.

COMMÉMORATIO

S. FLAMIDIANI MARTYRIS,

CUSANI IN HISPANIA.

V JANUARI.
S. Flamidiani
Martyr. memoria in sacris fastis.

a
Urgella capta a Mauris, mox recuperata.

b

c

Sancti Flamidiani Natalem hoc die refert Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum. In territorio, inquit, Helenensi S. Flamidiani martyris. Est Helena, vulgo Elna, urbs Catalauniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Tarraconensi, ad flumen Tectum, haud procul a mari distans. De S. Flamidiano hæc scribit Antonius Vincentius Domenecus Ordinis Prædicatorum in libro de Sanctis Catalauniæ:

2 Tradunt Ecclesiæ a Urgelitana, quæ perlustravi, monumenta, eam urbem annis dumtaxat duodecim et dimidiato fuisse in Maurorum potestate. Cum enim excessisset e vivis Dotila Episcopus, eam mox Barbari occuparunt, sed Christianis duodecim annis ac semestri post denuo cessit; creatusque ibidem Antistes Sisebutus eo nomine Primus. Quæ res insignem fidei in ea urbe ejusque pomcerio antiquitatem testatur.

3 Anno porro dcccxlvi cum Galliæ, titulo quidem ac nomine b Hildericus, re ipsa c Pipinus Major domus præesset; ejusque filius Carolus, cui deinde Magni gloriosum nomen adhesit, tres vixdum natus esset annos, die Septembris xiii, Sacerdotes quidam,

divino afflato instinctu, ex Urgelitana diocesi ad principium vallis d Confluentinæ, cui nomen Exalada, profecti, illic juxta fluvium e Tethin ex suis facultatibus monasterium construxere, quod Dei sanctique Apostoli Andræ honori sacrum esse voluerunt, ac S. Benedicti regi instituto. Eversum est id deinde ejusdem fluminis eluvione, Abbate ac monachis plerisque suffocatis. Quinque dumtaxat superstites fuere: hi ad Protasium Urgelitanum Archidiaconum, cui sacra illa congregatio quadam erat spiritualium ac temporarium rerum participatione devincta, adiere. Qui funestum illum casum miseratus, cum iis Caroli Magni Regis aulam petiit xxvii Decemb. anno dcccxcv ac monasterii tristi excidio commemorato, facultatem postulavit aliud in Cusana valle reedificandi. Libenter quod rogabatur concessit religiosissimus Princeps, eos jurejurando contestatus, ut B. g Germani Autisiodorensis id nomini dicarent. Atque ejus loci, in quo hæc gerebantur, Episcopo præcepit, ut Protasio manum S. Germani, dentemque h S. Amatoris largiretur. Protasium deinde secum i Romam deduxit, egitque cum k Adriano I Pontifice, uti hic Protasium

d
e
Fundatur monasterium Exalada. Eluvione subruitur.

f
Reedificatur Cusant.

g

S. Germano dicatur.

h

i

k

sium

NOTATIO.

EX ANT.
VINC.
DOMENEGCO.

sium Sacerdotio initiaret, et construendi monasterii crearet Abbatem. Rediit inde in Hispaniam Protasius cum suis, monasteriumque construxit, ac S. Germano dicavit, uti Carolus jusserat.

Ejus Abbates.

4 Multi ei loco post Protasium præfuerunt Abbates, Hembertus, Adasimundus, Amatus, Guntida, Blandericus, Adalardus, Aynardus, Raynardus, et Gondefrigus: hic ab l Agapito II, exemptionis diploma suo monasterio impetravit. Huic Pontius successit, qui monasterium vetustate nonnihil labefactum restauravit, sanctique Archangeli Michaelis patrocinio commisit, Guifredo Comite m Barcinonensi favorem in eam rem suum sumptusque peramplos præstante, qui tunc fere virorum Principum mos erat. Universa hæc in choro, ut vocant, basilicæ S. Michaelis Cusani asservantur, ex variis diplomatis, atque aliis certissimæ fidei monumentis a Vincentio Pisano collecta, quæ indubitata cœnobii illius antiquitatem testantur. Nam etsi sæpius reparati sint parietes, nomenque mutatum, eadem tamen permansit religiosorum hominum congregatio.

Hic reliquæ sunt S. Flami-
diani Marty-
ris.

5 In hoc porro nobilissimum cœnobium, atque omnium quæ in Catalaunia a prima institutione non interruptam retinere religiosam disciplinam, antiquissimum, S. Flamidiani Martyris sacra sunt exuvia deportata, præsens ad religiosi bravii prosecutionem incitamentum future. Is martyrio coronatus memoratur n xxv Decemb. ipso Christi natali die, quo ejus in Missa memoria agitur. At postridie Octavæ Innocentium festum ejus ritu duplici celebratur, atque ejus in officio et Missa recitatur nomen. At nihil extat præterea. Nam quas usurpant antiquas Lectiones, eæ nihil ad vitam pertinent, nudi Patrum sermones.

NOT. 105.

Hæc Domenecus, atque ex eo Antonius Yepes Chron. Ord. S. Benedicti centur. 3, ad ann. 743, cap. 4.

a Urgella, sive Urgellum, urbs est Episcopalis in Catalaunia ad Scorum, vulgo Segre annem.

b Hic Hildericus III fuit, qui deinde in monasterium retrusus.

c Pepinus Brevis, Rex deinde Gallorum.

d Confluentana sive Confluentinæ regio, Telhi fluvio irrigua, qui et Perpinianum oppidum alluit. In hac valle Prata oppidum visitur, atque ab eo hauri procul S. Michaelis cœnobium Cusani sive de Cuxano, Ordinis Benedictini, præclara, ut traditur, ecclesia ornatum.

e Hic est, qui Pomponio Melæ lib. 2, cap. 3, Thelis dicitur. Inde est ora Sardonum, inquit, et parva flumina Thelis et Thicis, ubi accrevere, persæva Ptolemæo tabul. 5, Europæ Rhuscion, atlis Ruscion, hodie Tet dicitur.

f Eo anno celebravit Carolus Domini natalem Aquisgrani, ut patet ex Annalibus Francorum ab Andrea du Chesne editis; priori anno Herbipoli. Sed manifestum, hic falli Domenecum in numero annorum, cum post eum annum non sit profectus Romam Carolus, nisi anno dccc, ad restituendum Leonem Papam. Potius anno dcccxxx, ad Carolum venisse Protasium crediderim, quo anno Rex natalem Christi Ticini celebravit, indeque Romam profectus est.

g S. Germani vitam dabimus xxxi Julii.

h S. Amatoris Autisiodorensis Episcopi vitam dabimus i Maii. Fortassis occurrit Protasius Carolo prius quam in Italiam intraret; et cum duorum Autisiodorensium Antistitum ab eo reliquias impetrasse dicatur, verisimile est, Autisiodori ab Episcopo ejus loci illas accepisse.

i Jam diximus, videri id accidisse anno dcccxxx. Adriani x, quo Romam voti solvendi gratia Carolus venit, ibique Pascha celebravit.

k Creatus est pontifex Adrianus anno Christi dcccxxxii, ix Februarii, obiit anno dcccxcv, die xxvi Decembr.

l Agapetus II, iiii Pontificatum anno Christi dcccclxvi, decessit anno dcccclxv, die xxvii Decemb.

m Hieronymus Zurita tomo i, Anual. Arragoniæ lib. 1, cap. 8, tradit, Wifredum II, Barcinonensem Comitem anno dcccxii, obiisse, at cap. 9, Senofredum Miri filium, qui anno cmlxvii mortuus est, ait a quibusdam, licet perperam, Guifredum sive Wifredum appellari. Is est fortassis qui Pontii Abbatis conatus promovisse hic commemoratur: nisi id præstiterit Wifredus Comes Rhuscionensis, qui anno dcccclxxxii, vivebat, ut ibidem scribit Zurita.

n Nullo tamen in Martyrologio eo die nomen illius reperimus.

TRANSLATIO SS. VICTORINI ABBATIS, LUCÆ, AMBROSII, PRIVATI, MONACHORUM.

V JANUARI.

Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum pridie Non. Januarii ita scribit: Placentiæ in Gallia togata Beatorum Victorini Abbatis, Lucæ, Ambrosii, et Privati monachorum. Citat in Notis tabulas et antiqua monumenta cœnobii S. Sabini, atque extare lectionem, eorum die festo recitari solitam,

in qua de illorum translatione agitur; tempus vero quo vixerint ignorari: hanc esse translationis diem. De S. Sabino, sive Savino, Episcopo Placentino, a quo hujus cœnobii ductum nomen, agemus xvii Januarii, et xi Decemb.

VITA S. GREGORII ACREDITENSIS.

Ex Menæis Græcorum.

CIRCA

AN. CHRISTI

dcccxx.

V JANUARI.

S. Gregorii

patria et pa-

rentes. Peco-

ra pascit.

a

Patriam re-

linquit.

b

Abit Hieroso-

lyman.

Ignotus hic fastis Latinorum, ita celebratur in Græcorum Menæis: Traxit hic genus ex nobilissima Cretensium insula, religiosissimis parentibus Theophane et Juliana ortus. Cumque haud parum temporis litterarum studiis impendisset, jussus est a parentibus pecus pascere: sed ille jam olim cælesti desiderio incensus, relicta patria, a Seleuciam se contulit, et inibi non exiguo tempore, modico pane et aqua vitam toleravit. Sexto autem et vigesimo ætatis anno, (qua tempestate b Leo Imperator sacrarum imaginum hostis et eversor vitam abruptit, et Catholica religio respiravit, suæque libertati est reddita) Hiero-

solymam profectus, locaque sacra cum ingenti affectu veneratus, quam multa et gravia, cum ab Saracenis, tum Judæis, totis annis duodecim perpessus sit, literis tradi non potest ab eo qui epitomas dumtaxat et breviter sectatur.

2 Dein inde discedens, se Constantinopolim contulit: ubi sumpto c Angelico habitu, corpusculum suum abstinentia et jejuniis domuit. Postquam autem extincto d Stauratio e Michael imperium tenuit, et f S. Niphophorus Ecclesiæ gubernacula tractavit, missus est g Michael Confessor, h Synadorum Episcopus Romam ad sanctissimum i Pontificem. Hic Constantinopoli

Multapatitur.

Fit Monachus.

c

d e f

g h

i

46 cum